

PETRI APOLLONII,
COLLATII, PRESBYTERI
NOVARIENSIS,
~~Excidij~~ Ierosolymitani
LIBRI IIII.

*Nunc secundo, secundum editionem operis
ac studio ADRIANI VANDER Auctoris
BURCHII, cum nonnullis eiusdem damnatis;
ad marginem notis. opus vero
permisum*



*Est conformis
al Expurgatorio
de 1640*

*Por commiss. ^{on} ^{to} ^{off.}
Lithon de Terra*

ANTVERPIÆ,
Apud Christophorum Plantinum.
cIc. Ic. LXXXVI.

IN PETRI APOLLONII
DE EXCIDIO VRBIS
IERUSALEM LIBROS,

Carmen

Adriani Vander-Burchij. *Auctoris damnari*

SIC UT in inculto gemmã qui repperit agro
Aut aurum, aut sculpto præsignem emble-
mate nummum,

Gaudet, & inuentum fidis ostendit amicis,
Si bonus est fideiq; tenax, nec collocat illa
Sordidus arata nulli visenda sub arca:
Sic quibus ingenium & sincero pectore mens est,
Dum Musæa vago discursu præta pererrant,
Et leti latis Phœbi spatiantur in aruis,
Si quid fortè noui, si sit reperire vetusti
Quod studiis proffit, vel quo speciosa inuentur
Docti turba viri seu sedula scire inuentus,
Candido id omne animo in communem largi-
ter vsum

Promunt, nec tacita patiuntur sede latere,
Ast omnes secum cupiunt hac parte beatos.
Primus in his Lipsi tanquã inter sydera parua
Luna micat, dignus merita lauro atq; corona.
Proximus accedit tibi Douza, manuq; prehêdit
Victoremq; suum, Canterum, Lernutiumq;

PETRI APOLLONII
COLLATII, PRESBY-
TERI NOVARIENSIS,

D E

Urbis Ierusalem euerfione;

LIBER PRIMVS.



XITIVM Solymæ, & tristes à stir-
pe ruinas,

Totque olim ducibus claram, tot re-
gibus urbem,

Servitio turpi & miseranda sorte
subactam

Dicere fert animus. Nunc ô veneranda canentis

Calliope regina chori, fontisque sacratæ,

Huc ades; & tecum comites assume sorores.

Tuque mihi causas memora, quo crimine genti

Hanc Deus intulerit cladem: scis ipsa, nec vnquam

Obscurasse potest mentem tibi longa vetustas.

Venerat è summo demissus cardine cæli,

Errores hominum tandem miseratus, ab alto:

Humanamque Deus sancta de virgine carnem

Sumpserat, & castæ servato corpore matris,

Non intellecto, mundo comparuit ortu.

Cumque forent doctæ studiorum lumen Athenæ,

Et latè princeps terrarum Romula tellus,